



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

Sandini, Antonio

Bambergæ, 1753

CXCII. S. Cælestinus V. Anno Christi 1294. Adolphi Regis 3. Andronici 11.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65477)

no 1294. IV. Idus Decembr. Angelorum itidem operâ delata est in Italiæ regionem Picenam, estque hodie sacrarium insigne, ditissimumque Christianorum donariis undique collatis. Vide Raynaldum ad an 1291. §. 68. & ad annum 1294. §. 24. & Historiam nostram Familiæ Sacræ cap. 1.

CXII.

S. CÆLESTINUS V.

ANNO CHRISTI 1294.

ADOLPHI REGIS 3. ANDRONICI 11.

Cum annos duos ac menses tres discordiâ sententiarum certassent Cardinales, tandem anno 1294. III. Nonas Jul. *Cælestino V.* munus Ecclesiæ administrandæ consensu injungunt. Patriâ hic Eferniensis, professione Monachus, *Petrus de Murrona* cognominatus à monte ejusdem nominis duobus ab Sulmone millibus, in quo genus vitæ asperrimum ducebat. Delatam sibi dignitatem summam recusavit, fessus precibus suscepit, Aquilæ consecrari voluit, quam Urbem iniit a fello vectus, Regibus Sici-liæ & Hungariæ præeuntibus ad frana.

Rayn. an.
1294.
§. 3. &
segg.
Spond.
§. 1. segg.

(1) Tri.

(1) Tribus editis constitutionibus ratam jussit esse Gregorii X. constitutionem de Cardinalibus includendis in Conclave ad celerem Pontificis electionem. (2) Confirmavit etiam Ordinem ab se institutum, qui deinde *Cælestinorum* appellatus est. Neapoli, quam Romæ sedere maluit. Pontificatus curis distentus cum haud facile posset in se ipsum secedere, assuetisque rerum divinarum contemplationibus vacare, ea res vitæ pristinae desiderium fecit. De Pontificatu igitur deponendo cogitare cœpit. Tum verò in disquisitionem venit, possetne Pontifex se abdicare. Posse Cardinalium *omnium concordi consilio & assensu, auctoritate Apostolicâ statuit & decrevit Cælestinus.* (3) Quare Idibus Decembr. exemplo memorabili virtutis deposuit pontificatum, *in mense quinto & die octavo*, quam ei demandatus erat. 4. Postea latuit. Latitantiem perquiri jussit successor ejus Bonifacius VIII. inventumque in arcem Fumonis includi, ad periculum schismatis evitandum. (5) Ex ea custodia anno 1295. XIV. Kal. Iunii evolvit

C c c 3

lavit

Rayn. an.

1295. §.

11. 13. 14

Spond.

§. 2. 3.

lavavit ad superos: sepulcrusque est Ferentini in Cœnobio sui Ordinis.

ANNOTATIONES.

(1) Hoc ab eo factum est non quidem superba singularitate, quasi alios, qui aliter fecerant, reprobare voluerit, sed singulari humilitate, quæ à sancta rusticitatis monasticæ consuetudine nec facile, nec citò avelli potuit. Hos quippe magnificos apparatus sive in equis, sive in vestibus ac aliis exterioribus ornamentis, quos plerique pompas vocant, à tempore B. Sylvestri Papæ sancti Patres non solum summi Pontifices, sed & alii minores Episcopi non ad suam, sed ad Christi & Ecclesiæ ejus gloriâ extollendam introduxisse credendi sunt: quos exterius cum temperantiæ moderamine observare, interius tamen servatâ humilitate non est vanitatis aut vitii, sed est virtutis ac meriti: Petrus de Alliaco lib. 2. cap. 11. apud Raynaldum ad an. 1294. §. 11.

(2) Recitantur ab Raynaldo in *Addendis* ad Tomum XV. Vide annotat. 3. ad Nicolaum IV.

(3) Patet id ex cap. *Quoniam* 1. De Renuntiatione in 6. Vide Martinum Bonacinam *De legitima Pontificis electione* disputat. 1. quæst. 1. punct. 1. num. 21. Azorium *Institut. Moral.* part. 2. lib. 4. cap. 6.

(4) S. Antoninus in Chron. 3. part. tit. 10. cap. 8. *Aliqui de hoc opere eum arguunt, quasi ex animi vilitate, & nimia sui dejectione hæc egerit, ut Dantes Poëta: (Infer. 3. 59.) Alii eum valde commendant de sua humilitate & puritate conscientie, ut Franciscus Petrarca. (de vita solitaria lib. 2. sect. 3. cap. 18.) Sed Ecclesiæ, quæ eum propter sanctitatem, & miracula canonizavit defunctum, opera ejus approbans, magis inhærendum est.*

Benevenutus de Imola Commentariis in Comœdiam Dantis, circa annum Christi 1376. compositis, ut est in Excerptis apud Muratorium tom. 1. Antiquitatum Italicarum mediæ ævi pag. 1038. ait, Danterem non loqui de Cælestino. *Quia licet Cælestinus fecerit maximam renuntiationem, non tamen ex vilitate fecit, imò ex magnanimitate. Fuit enim Cælestinus, si verum loqui volumus, verè magnanimus ante Papatum, in Papatu, & post Papatum. Primum probat, quia statim auditâ electione suâ conatus est fugere; alterum quia vixit humilis in alto, solitarius inter turbas, & inter divitias pauper fuit: tertium quia gaudio & letitiâ summâ abiit Pontificatu. Adjicit multis claruisse miraculis, dignumque exstitisse Sanctorum Catalogo numerari. Postea ita concludit:*

Ccc 4 Patet

Patet ergo ex his , quòd non sit standum
opinionì vulgi. Nam vanæ voces vulgi
non sunt audiendæ. Nec Vir sapientissi-
mus Dantes credendus est , Virum sanctissi-
mum damnasse ad opinionem vulgi igno-
ri. Quis ergo fuerit iste tristissimus , di-
cto brevius secundum iudicium meliorum ,
quòd fuit Esau. Iste enim fecit magnam
refutationem , quando renuntiavit omnia
primogenita sua fratri Jacob , &c. Irit
in eandem sententiam Victorellus in Addit.
ad Ciaconium tom. 2. pag. 276. eandemque
ut legere licet apud Cardinalem Petram in
Comment. ad Constitut. Apostol. tom. 3.
pag. 329. num. 5. novissimè tuetur P. Inno-
centius Barcellini Abbas Cælestinorum ,
in libro linguæ Italicæ conscripto Indultrie
Filologiche, Mediolani impresso anno
1701.

(5) Ptolomæus Lucensis Hist. Eccl. l. 14.
cap. 34. In custodia ponitur & tenetur
pro cavendo scandalo Romanæ Ecclesiæ,
quia apud aliquos dubitabatur , an cedere
potuisset , & sic poterat schisma in Eccle-
sia generari. Tentus igitur in custodia non
quidem libera , honesta tamen, in Castro
Funnonis in Campania.